



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Triplex Statvs; Ecclesiasticvs, Religiosus, & Sæcularis

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Ad Deiparam Dominam meam Epilogus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80707](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80707)

Ad Deiparam Dominam Meam, Epilogus.

IN Arca Noë olim Religiosus status adumbratus fuit, pluribus quidem securum receptaculum, nè in sæculari inundatione miserè deperirent. An non in typum tuæ ò Deiparens protectionis erga Religiosorum statum? Tu eis, qui contemplationis dulcedine intus torporantur, & qui foris proximorum vilitati incumbunt Arca es protectionis. Terrestrialium animalium species omnes in Arca Noë includebantur. At illa, quæ partim in mari, partim in terra nutriuntur, ut vituli marini, ac similia, vbinam ex illo communi naufragio euaserunt? Respondet D. Augustinus, aut quisquis ille est Auctor 1. *mirabilis Script.* cap. 5. *An etiam in Arca recto foris requies his esse aliqua valebat, quo latum & stabile spatium faciebat, ut quod intus manentes sine periculo conseruaret, etiam per profundum periculum nauigantibus refugium foret? Quasi vna illa Arca nullum à suo patrocinio animal remoueret. Capaciorem ò Virgo, sinum aperis ad omnes, qui in Religionis statum confugiunt, haud mundi in pelago perituri, siue in contemplationis requie intus versentur, siue foris ad proximorum salutem diuagentur: dummodo hi te implorent, te proculbudio faultricem, auxiliatricemque experientur. Parum verò esset Religiosos tuæ protectionis sinu recipere, nisi cunctis eorum spiritualibus ægitudinibus ad perfectionis cumulum obtinendum medicamina exponeres. Ait de Arca Noëmitica Eusebius Cæsar. l. 9. de præparat. Euang. cap. 4. *Nauis adhuc inuenitur in Armenia, cuius lingua remedium hominibus aduersus multos morbos mirabiliter afferunt. Quo igitur tempore tuus in nos Virgo Sanctissima animus claudetur? Quando tua in nos perfectionis cursum agentibus minuetur beneuolentia? Haud dubium, quin ad propellendos spirituales morbos tua semper ex cœlestis Armeniæ vertice in nos pietatis ac misericordiæ viscera pateant.**

Laus Deo, Deipara, Iosepho, Ignatiò, Antonio,

R.P.